

— Quæritur IV. Utrum res mobiles Ecclesiarum, aliorumque locorum piorum, cum titulo et bona fide, triennii et possessione usucapiantur? Resp. In hujus quæstionis resolutione variant doctores, qui in duas extremas abeunt sententias, affirmativam videlicet, ac negativam; uti videre est apud Abbatem cap. i. n. 13. *De in integrum restitut. et alios*; atque patebit afferendo utriusque sententiæ fundamenta. Et quidem

169. *Fundamentum negativæ sententiæ afferitur.* — Fundamentum negativæ sententiæ desumitur ex c. *Illud autem*. 8. h. t. Ubi absque restrictione aliqua ad res immobiles generaliter dicitur, « quod adversus Ecclesias minorem præscriptionem, quam quadraginta annorum, romana Ecclesia non admitti: » ergo cum canon non distinguat inter res mobiles et immobiles, neque nos distinguere debemus, sed in utriusque sola quadragenaria præscriptio admitti debet. Confirmatur. Quia contra fiscum non procedit usucapio triennalis, § *Res fiscali*. Instit. *de Usucap.* ergo a pari idem dicendum de Ecclesia, utpote quæ gaudet privilegio fiscali, arg. c. *Auditis*. juncta Glossa §. *Jure minoris*. *De in integrum restitut.* et l. ult. c. *de Sacrosanct. Eccles.* ubi ista æquiparantur: et notat Menochius consil. 39. n. 4 et Barbosa tract. *Loca communia*, argum. juris. loc. 49. n. 2. et part. II. *Jur. Ecclesiast. univ.* cap. XIII. n. 2. citans Tiraquellum *de Privil. piæ causæ*. privileg. 143; Martham *de Jurisdic.* part. IV. cent. 1. casu 11. n. 48. et cas. 20. n. 22. pluresque alios.

170. Nec obstat Auth. *Quos actiones. c. de Sacros. Eccles.* ubi videtur oppositum decidi: et quod dicta authentica sit incerta decreto Gratiani can. penult. § *Quas actiones*. 16. q. 3. Tum quia leges civiles, dum quid disponunt circa Ecclesias, resque ecclesiasticas, nihil habent roboris, sed sunt inefficaces, nisi quatenus sunt approbatæ ab Ecclesia; ut c. *Ecclesia sanctæ Mariæ*. 10. et c. *Quæ in Ecclesiarum*. 7. *de Constitut.* cum similibus, tum quia can. penult. § *Quas actiones*. 16. q. 3. non est alicujus Papæ, qui habet jus condendi leges, sed ipsius duntaxat Gratiani, qui veluti doctor privatus ex jure civili citatum paragraphum illic transtulit. Atque ideo hanc sententiam tenet Glossa Auth. *De non alienandis*, etc. § *Sinimus*. §. *Nec multum*. collat. 2. Hostiensis in *Summa*. tit. *De in integrum restitut.* n. 4. hancque opinionem Abbas in cap. i. n. 13. *De in inte-*

grum restitut.; appellat æquiores; et quia in favorem Ecclesiæ tendit, eam optime posse teneri asserit, eo vel maxime, quod non reperiatur aliquis canon, qui in rebus Ecclesiæ approbet usucapionem triennalem. Atque eandem sententiam saltem circa mobilia pretiosa, utpote quæ æquiparantur immobilibus, et ad instar immobilium absque solemnitate alienari prohibentur Extravag. un. *De rebus Eccles. non alienand.* inter commun. censet valde probabilem Engel, h. t. n. 28. nam etiam usucapio est quædam alienationis species, l. *Alienationis ff. de Verb. signif.*

171. *Affirmativa est communior, et verior.* — Affirmativa e contra sententia, seu quod Ecclesiæ (demptis tamen pretiosis) triennali possessione usucapiantur, est communior doctorum, et verior de subtilitate juris; uti fatetur ipsemet Abbas cit. n. 13. eamque tenet Innocentius cap. i. *De in integrum restitut.*; Dynus in *Reg. possess.* n. 18. *de Reg. Jur.* in 6. ex professo hanc quæstionem examinans; Covarruvias part. II. in *Reg. Possessor.* § 2. n. 5; Lessius d. lib. II. cap. vi. n. 22. hinc excipiens bona romanæ Ecclesiæ Zoesius h. t. n. 5; Vallensis eod. § 6. n. 3; Layman lib. III. tract. I. n. viii. n. 13; Pirhing h. t. n. 90; Sannig eod. cap. v. n. 1, pluresque alii. Fundamentum hujus communioris sententiæ desumitur ex Auth. *Quas actiones. c. de Sacrosanct. Eccles.* ubi locis religiosis conceditur privilegium præscriptionis quadragenariæ, sed cum addita limitatione illis verbis: « Usucapione triennii, et quadriennii præscriptione in suo robore permansuris. » Estque hæc authentica per Gratianum juri canonico inserta, can. penult. § *Quas actiones*. 16. q. 3. atque ab Ecclesia recepta; uti volunt Layman, Pirhing, Vallensis, aliique hujus sententiæ sectatores. Confirmatur. Quia si lex non esset, non posset Ecclesia usucapere spatio triennii rem mobilem privati; ergo si vult accipere legem pro se, debet etiam admittere contra se, ex quo circa hoc non reperitur specialiter privilegiata per principem.

172. *Solvuntur contraria.* — Nec obstant rationes n. 169. in oppositum allatæ. Siquidem textus c. *Illud autem*. 8. h. t. commode intelligitur de præscriptione rerum immobilium, non vero mobilium: ut sic jura jurius concordentur. Porro dictum illud, « ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus, » non procedit, quando una lex

per aliam distinguitur; prout fit in proposito per cit. Auct. *Quas actiones*, cum similibus.

173. *Ecclesia gaudet privilegiis fiscali; et qualiter?* — Neque urget assumpta paritas de fisco: nam verum quidem est, quod Ecclesia gaudeat omnibus privilegiis fiscali temporalis, sed cum limitatione; nimirum (ut inquit Barbosa cit. lib. II. *Juris Ecclesiast. univers.* cap. XIII. n. 2. cum aliis) dummodo subsistat identitatis ratio, et non reperiatur contrarium in Jure expressum horum quippe ultimum deficit in proposito, propter textum cit. Auct. *Quas actiones. c. de Sacrosanct. Eccles.*

174. *Actiones, quo tempore extinguantur sive præscribatur contra eas? Actio hypothecaria contra debitorem, vel ejus hæredem non extinguitur, nisi annis quadraginta.* — Quæritur V. Quo tempore extinguantur actiones, sive præscribatur contra eas? Resp. I. Actio hypothecaria, qua creditores pignora, sive hypothecas persequuntur, seu repetunt a debitore, vel ejus hæredibus, non extinguuntur contra creditorem, nisi annis quadraginta. Textus est clarus in l. *Cum notissimi. c. de Præscription. triginta vel quadraginta annorum.*

175. *Secus contra alios.* — Dicitur notanter, « a debitore, vel ejus hæredibus. » Nam si res pignori, vel hypothecæ supposita, possideatur cum titulo et bona fide ab aliquo alio, qui nec debitor, nec debitoris hæres (et si fuit cuiusdam vendita ignoranti, quod sit hypothecata) tunc contra eam præscribitur spatio longi temporis; id est, decennio inter præsentem, aut viginti annis inter absentes: sine titulo autem annis triginta, cit. l. *Cum notissimi*, juncta l. I. et II. c. *Si adversus creditorem*, etc.

176. *Actiones temporales per contestationem litis fiunt perpetuæ.* — Resp. II. Actiones temporales (hoc est, decem, viginti, aut plurius annorum) per contestationem litis fiunt perpetuæ: id est, extenduntur ad annos quadraginta a tempore cessationis a lite inchoandos, ita ut antea per præscriptionem non extinguantur. Ita habetur l. ult. c. *de Præscript. triginta vel quadraginta annorum*. Ratio autem, cur longius tempus concedatur post litis contestationem, quam sine ea ibidem affertur: quia præscriptiones longi temporis sunt institutæ partim in favorem possidentis, partim in odium negligentis rem suam repetere: atqui is, qui penitus ab initio tacuit, non est similis alteri litem contes-

tanti, atque in judicium venienti, et certamen subeunti, licet postea forsitan impeditus ob quosdam casus, litem implere cessaverit. Quinimo longe minor est negligentia hujus, quam illius: ac proinde tempus præscriptionis contra ipsum jure conceditur majus, et perpetuatur, sive ad quadraginta annos extenditur; haud obstante, quod antea ad decem, vel viginti duntaxat annos competivisset.

177. *Cæteræ actiones extinguuntur per præscriptionem annis triginta, etc., non tamen.* — Resp. III. Etsi cæteræ actiones (si excipias actiones contra Ecclesiam, aliæque loca pia super bonis immobilibus, et juribus correspondentibus præscribendis, de quibus discurrendum est conformiter dictis supra n. 163. et seqq.) Etsi inquam, cæteræ actiones extinguantur per præscriptionem annis triginta: non tamen omnes tantum temporis requirunt. Ita communis. Et quidem prima pars habetur expressa in l. *Sicut in rem. c. de Præscript. triginta vel quadraginta annorum*. ubi Summarium breviter sic habet: « Omnes actiones, quæ minori tempore non tolluntur, triginta annis tolluntur. » Concordat textus in l. 1. c. *de Annali exception.*

178. *Actio injuriarum expirat lapsu unius anni.* — Altera vero pars conclusionis probatur inductione. Nam imprimis actio injuriarum expirat lapsu unius anni, l. *Si non convicii. c. de Injuriis*, ibi: « Cum injuriarum actio annuo tempore præscripta sit. »

179. *Actio ad accusandum adulterium, aliæque peccata carnis (quibusdam exceptis) expirat quinquennio.* — Deinde actio ad accusandum adulterium, vel alia peccata carnis extinguuntur lapsu quinquennii: adeo, ut quis postea de tali delicto inquiri, aut judicialiter accusari, et puniri non possit, l. *Mariti. ff. Ad leg. Juliam de adulteriis*. et l. *Adulter. c. eod.* Excipitur tamen hic Stuprum per vim illatum, cit. l. *Mariti*. § fin. ff. *Ad leg. Jul. de adulter.* et Adulterium cum incestu, l. *Vim passa*. § *Præscriptione*. ff. eod. atque Raptus, l. *Qui cætu. ff. ad leg. Jul. de vi publica*.

180. *Quid dicendum de nefando crimine sodomie?* — His nonnulli addunt crimen nefandum, sodomie videlicet, quod nullo unquam tempore præscribi, tradit Sebastianus Guazzinus lib. I. *Defensione*. 2. *Inquisitorum*, etc. cap. II. n. 79. Sed quia nullum allegat textum juris, neque talem hactenus reperire licuit, quo istud cæteroquin gravissimum, atque in oculum clamans delictum carnis,

sic exceptum, merito de hac Guazzini sententia dubitari potest: eo præertim, quod textus, et Glossa in cit. l. *Adulter*. §. *Adulterium*. c. *Ad leg. Jul. de adulteriis*, dictum quinquennii terminum ad omnia peccata carnis in jure non excepta extendat: simulque « in poenitentibus causis benignius interpretandum sit, » juxta l. *Factum cuique*. ff. *de Reg. Jur.* et c. *In poenis*, eod. in 6.

181. *Actiones criminales tolluntur regulariter viginti annis, nonnullis tamen exceptis.* — Porro aliæ actiones criminales tolluntur regulariter spatio viginti annorum, computando a die commissi criminis, l. *Querela falsi*. c. *Ad leg. Cornel. de Falsis*. ibi: « Querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi viginti annorum exceptione, sicut cætera quoque fere crimina: » juncta Glossa ibid. §. *Sicut cætera*. Ubi tamen eadem Glossa ponit nonnullas exceptiones, assignando crimina, quæ vel minori tempore tolluntur; vel sunt perpetua, adeo quod nullo unquam tempore præscribantur: uti sunt crimen suppositi partus, crimen parricidii, et concussionis; quibus adde crimen læsæ majestatis, falsæ monetæ, hæresis, et nonnulla alia, de quibus alibi.

182. *Actio redhibitoria, quæ; et quo tempore eidem præscribitur?* — Ulterius « Actio redhibitoria, » quæ datur emptori contra venditorem, ut animal morbidum, vel aliam rem vitiosam, quam quis cognito vitio non emisset, recipiat, pretiumque ejus restituat; tollitur eidemque præscribitur contra emptorem sex mensibus, computandis a die, quo emptor vitium rescivit, l. *Sciendum*. et l. *Cum sex*. ff. *de Ædilitio edicto*.

183. *Actio quanti minoris, quæ, et quandiu duret?* — Insuper « Actio quanti minoris, » quæ datur emptori, qui rem vitiosam, si præcivisset vitium ejus, emisset quidem, sed minori pretio, ut quanti minoris emisset, repetere possit, l. 1. ac seqq. ff. *de Ædilitio edicto*, durat duntaxat per annum. Tacentur aliæ actiones, utpote commodius in propriis locis explicandæ: nam magna est disparitas de actionibus, ac tempore requisito ad hoc, ut contra ipsa præscribatur; ita videlicet, quod amplius in foro externo proponi nequeant, si contra eas excipiatur, remanente interim obligatione in foro conscientie resarciendi pro viribus injustam læsionem proximo illatam.

§ VII.

DE POSSESSIONE AD PRÆSCRIPTIONEM REQUISITA, HUIUSQUE DORMITIONE ET INTERRUPTIONE, AC RESTITUTIONE IN INTEGRUM CONTRA EAM.

184. *Possessio legitime continuata requiritur ad præscriptionem. Non plus præscriptum, quam possessum.* — Quæritur I. An, et qualis possessio ad præscriptionem requiratur, et sufficiat? Resp. I. Certum est, requiri possessionem, quæ sit tempore a jure constituto legitime continuata. Nam, ut habet reg. 3. jur. in 6. « Sine possessione præscriptio non procedit, » cum concordantiis. Unde illud vulgatum juristarum. « Non plus præscriptum, quam possessum. » Si quidem præscriptio fundatur super possessione: ubi autem fundamentum non est, superædificari nequit.

185. *Præscribens decimas, non censetur præscripsisse decimas novalium.* — Et hac de causa, qui præscripsit decimas intra fines alienæ parochiæ, non potest vi talis præscriptionis percipere decimas novalium postea ibidem factorum: quia nempe decimas novalium, utpote hactenus non existentium, nunquam possedit, c. *Cum contingat*. 29. *de Decimis*, juncto summario, Glossa §. *Novalium*. et doctoribus ibid.

186. *Etiam in præscriptione contra servitutes, actiones, etc., requiritur alia possessio; et qualis?* — Dices. Præscriptio non solum datur ad acquisitionem alicujus rei, vel juris; sed etiam in ordine ad extinguendum jus alterius, vel ad defensionem contra jus alteri competens; ergo datur aliqua præscriptio sine possessione. Antecedens patet in præscriptione servitutum rusticarum, actionum, et hujusmodi: in quibus datur præscriptio ex solo non usu adversarii post elapsum certum tempus, nulla vero intervenit possessio. Resp. neg. consequent. cum sua probatione: quia, ut notat Abbas in c. *Cum non liceat*. n. 15. h. t. prædicta regula proprie quidem procedit in priori casu, seu ubi præscriptio datur ad acquisitionem alicujus rei, vel juris: nihilominus ea etiam in posterioribus casibus, puta, servitutibus rusticis, etc. procedit: utpote in quibus præscriptio habet effectum abnegativum, atque præscribitur proprie libertas, in cujus possessione quis fuit.

187. *Dicta de possessione, procedunt etiam de quasi possessione.* — Cæterum ea, quæ hic dicuntur de possessione, intelligenda etiam sunt de quasi possessione: nam incorporalia

proprie non possidentur, sed quasi possideri dicuntur, c. *Cum Ecclesia*. 3. *de Causa possess.* cum concordantiis a Glossa ibid. §. *Quasi possessionem*, adductis.

188. *Ad præscriptionem requiritur, talis possessio, ut quis rem proprio nomine possideat.* — Resp. II. Ad præscriptionem requiritur talis possessio, ut quis rem proprio nomine possideat, non autem alieno. Ita communis; et patet ex dictis supra n. 37. Accedit ratio: quia is, qui alterius nomine possidet, revera non est possessor, sed alter qui per ipsum possidet; nam « is possidere dicitur, cujus nomine possidetur, » prout habetur c. *Cum venissent*. 9. §. *fin. de Restitut. spoliat.* et c. *Si diligenti*. 17. h. t. Unde procurator, conductor, filiusfamilias, etc. nullo unquam tempore contra dominum directum rem quampiam præscribunt: quia eam non suo, sed alterius nomine possident.

189. *Ad eam inchoandam requiritur possessio naturalis et civilis simul; ad continuandam sufficit sola civilis.* — Resp. III. Ad inchoandam præscriptionem requiritur possessio naturalis, et civilis simul: ad eam tamen continuandam et complendam, sufficit sola civilis possessio, non autem sola naturalis. Ita Glossa communiter recepta in c. *Sine possessione*. §. *Sine. de Reg. jur.* in 6. Idque desumitur ex l. *Licet*. c. *de Acquirend. possess.* ubi dicitur: « Licet possessio (et consequenter præscriptio) nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest: » juncta Glossa ibidem amplius hoc declarante. Concordant dicta superius tit. XII. *De Causa possessionis*. § 1. n. 40 et seqq. ubi etiam declaratur, quid sit possessio naturalis, civilis, et naturalis ac civilis simul.

190. *An etiam possessio civilissima sufficiat ad inchoandam præscriptionem?* — Resp. IV. Num autem possessio civilissima, sive acquisita ministerio legis, seu consuetudinis sine actuali insistentia rei (de qua jam dictum supra cit. tit. XII, § 1, n. 17, et § 4, n. 140. et seqq.) sufficiat ad inchoandam præscriptionem, variant doctores. Et quidem negativam sententiam tenet Romanus, singul. 440; Felinus in c. *Illud*. col. ult. h. t.; et Baldus tom. XVII. *Tractatum*, tract. *de Præscriptionibus*, part. III. principal. circa fin. Verum affirmativa sententia est probabilior: eamque tenet Glossa fin. c. *Contingit*. 9. *de Dolo et contumac.* ubi talis casus possessionis civilissimæ, seu legis ministerio acquisitæ, habetur in actore, cui propter rei contumaciam

adjudicata fuit possessio (causa rei servandæ) sed quia in possessionem sibi a iudice decretam, propter rei potentiam, vel dolum non admissus fuit, « verus constituitur elapso anno possessor; » prout loquitur textus ibidem. Atque hanc sententiam sequitur Covarruvias cit. n. 5. allegans communem doctorum. Accedit ratio: quia hoc ipso, quod talis possessio censeatur ministerio legis vera possessio, quoad effectum nihil differt a vera naturali civilique possessione. Nec obstant dicta in concl. præced. Quamvis enim hic non interveniat possessio naturalis secundum veritatem: bene tamen ea intervenit secundum fictionem juris, ac ministerio legis; prout uberius liquet ex dictis supra cit. tit. XII. *De Causa possessionis*, a n. 111, usque ad n. 142, ubi plura de hoc.

191 et 192. *Præscriptio quando dicitur non procedere, vel dormire?* — Quæritur II. Quid sit, præscriptionem non procedere, vel dormire; et in quibus casibus ea dormiat? Resp. I. « Præscriptio tunc dicitur non procedere, » seu non currere, quando ob defectum alicujus conditionis ad ipsam requisitæ ipsa nec incipit, nec incipere potest; ut si desit bona fides, vel possessio necessaria, aut hujusmodi. Quo modo locum habet reg. 3. juris in 6. « Sine possessione præscriptio non procedit. » Et reg. 2. eod. in 6. « Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. »

Resp. II. « Dormire dicitur præscriptio, » quando ipsa semel inchoata, aliquando tempore cessat currere, atque interim manet suspensa propter superveniens impedimentum: ita tamen, ut eo sublato rursus procedat et continuetur tempus subsequens cum præcedenti ad complendam præscriptionem, solo dormitionis tempore subducto. Ita liquet ex c. *Cum vobis*. 14. h. t. et c. *Ex transmissa*. 10. juncta Glossa fin. eod. cum communi.

193. *Præscriptio in pluribus casibus dormit.* — Resp. III. Plures sunt casus, in quibus dormit præscriptio: quos enumerat Glossa in can. *Prima actio*. 16. q. 3. §. *Postliminio*. ac Innocentius, et Abbas cit. c. *Ex transmissa*. n. 5. et seqq. h. t. quorum præcipui sunt sequentes.

194. *Nimirum tempore hostilitatis, seu belli; et qualiter?* — Et imprimis præscriptio dicitur dormire tempore hostilitatis, seu belli. c. *Ex transmissa*. 10. h. t. ibi: « Præscriptio hostilitatis tempore non currente. » Concor-